



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.20. Papa causam defendit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. digna in Operibus Alcuini. Obiit an-
 A. C. 800. no 804. in Die Pentecostes 19. Maji.

Mabill. to. 5.
p. 707.

§. XX.

Papa Causam defendit.

Ann. Egin. *Fuld. Loifel.* Cum Rex Carolus anno octingentesimo
 in Italiam contenderet, Leonem Pa-
 pam usque Nomentum, quod duodecim
 millibus seu quatuor Leucis Roma di-
 stabat, obviam sibi procedentem hono-
 rifice excepit, & postquam ambo coenae-
 sent, Romam rediit Pontifex, quo alte-
 ra die Rex pervenit. Venientem Papa
 stans in gradibus Ecclesiæ S. Petri cum
 multis Episcopis & omnibus Clericis suis
 præstolabatur. Tum de equo descen-
 dens Rex lætis acclamationibus excipi-
 tur, & inter cantus Gratiarum actionis
 in Ecclesiam deducitur. Erat dies vige-
 sima quarta Nov. cum Rex Carolus Ur-
 bem quarto intraret.

Post dies septem Rex populo ad Con-
 cionem convocato, causas, quæ se ad
 profectionem Romanam suscipiendam
 permovissent, publice exposuit, iisque
 expediendis sequentes dies omnes im-
 pendit. Initium duxit a Causa majore
 & difficiliore scilicet ab examine Actionis
 contra Pontificem motæ. Itaque Epi-
 scopis, Abbatibus, omnibus Francorum
 Romanorumque Proceribus Rege jubente
 in Ecclesia S. Petri congregatis, Rege &

*Anast. in
 Leon.*

KLIV.

& Papa confidentibus, atque etiam Epis-
 copis & Abbatibus sedere iussis, stanti-
 bus Presbyteris, & Optimatibus, cum
 nemo prodiret, qui crimina Papæ obje-
 cta probare vellet, edixerunt Antistites:
*Judicare Sedem Apostolicam non aude-
 mus, Ecclesiarum omnium Caput, sicut
 antiqua consuetudine accepimus.* (*) Pa-
 pa respondit: *Antecessorum meorum ve-
 stigiis insistam. Paratus sum has falsas
 accusationes diluere.* Id sequente die
 fecit; nam omnibus in eadem Ecclesia
 S. Petri Episcopis, Francis & Romanis
 præsentibus, Evangelia manibus prehen-
 dit, ascendit ambonem, & clara voce
 cum jurejurando dixit: *De criminatio-
 nibus, quas Romani mihi imposuere,
 scientiam non habeo, nec talia me fecisse
 cognosco.* His dictis omnes Præsules &
 Clerici recitata Litaniam Deum, S. Vir-
 ginem, S. Petrum, & omnes Sanctos lau-
 darunt.

Sæcul. VIII.
 A. C. 800.

Rr 2 §.XXI.

(*) Hic P. Balduinus iterum Fleurium accu-
 sat, quod pauca hæc verba, & non omnia ex
 Anathasio excerpterit. Verum, ut ego arbitror,
 hæc pauca non tantum sufficiunt, sed etiam ad
 probandam contra Protestantes Summi Pontifi-
 cis in universa Ecclesia Auctoritatem, a Jesu
 Christo acceptam, testimonium sunt invictum,
 & inexpugnabile argumentum.